

50 R.

B
ORDINIS MEDICORVM
IN
ACADEMIA WITTENBERGENSI
H. T. DECANVS
**ABRAHAMVS
VATER**

D. et P. P.

ANAT. ET BOTAN. SVBSTITVT. NEC NON
SOCIETATVM IMP. NAT. CVR. ET REG.
BRITANN. SOCIVS

LECTORI BENEVOLO
SALVTEM DICIT

ORDINES MEDICORVM
ACADEMIA NATURALIS
ET BOTANICA
ARRAHAMVS
ATLTER
D. et R.
VNTA ET BOTANICA NATURALIS
SOCIETATI AMERICANA ET REG
HERITANIS SOCIAZ
LEGATORI AFRICANOZO
SOCIETATI DANT



hirurgiam, quae primum pars Medicinae habita, et sub iisdem auctoribus nata est, artem antiquissimam, ac Medicina forte uetustiorem esse, nemo facile inficias ibit. Pri-
mi enim Medici, de quibus aliquid memoriae proditum legimus, Chirurgos potissimum fuisse, monumenta loquuntur. Podalirius quippe et Machaon magni Aesculapii filii, quorum laudes cecinit *Homerus*, in bello Troiano non mediocrem commilitonibus suis opem tulerunt. Hos uero non in pestilentia, neque in uariis ge-
neribus morborum, sed uulneribus tantum ferro et medicamentis mederi solitos esse, *Idem* proposuit. Imo multo ante Chironem Cen-
taurum, a quo Chirurgiam dictam quidam ex-
istimant, artem hanc illustrasse, perhibetur. Hanc Medicinae partem ab Hippocrate, omnis Medicinae Parente, magis, quam a prioribus, ex-
cultam esse, testantur eius scripta. Deinde, posteaquam diducta ab aliis, habere Professores suos coepit, in Aegypto quoque increvit, Philoxeno maxime auctore, qui pluribus uolumi-
nibus hanc partem diligentissime comprehen-
dit,

dit, uti uidere est apud *Celsum Praefat. ad L. VII.*
Eandem etiam Romae non mediocres habuisse
Professores, quorum eruditissimus Meges fuit,
Idem testatur. Peruersum ergo est iudicium
eorum, qui Chirurgiam infra Medici dignita-
tem constituunt, et indecorum esse, Medicum
Chirurgiam exercere, putant. Medicus perse-
ctus, ut iudicat *Rodericus a'Castro in Med. Polit.*
L. II. Cap. 3. Chirurgus sit, omnino oportet,
aut certe ipsam artem Chirurgiae exactissime
calleat, tametsi eam manibus non exerceat.
Merito igitur Chirurgia ars nobilissima, et prin-
cipalis Medicinae pars, adeoque Medico omni-
no digna habetur. Illa enim saepissime mor-
bos, qui medolum per pharmaca non admittunt,
sanare nouit. *Quaecunque, inquit Hippocrates,*
*L. VIII. Aph. 6. non sanant Medicamenta, ea fer-
rum sanat.* *Quae ferrum non sanat, ea ignis sa-
nat.* *Quae ignis non sanat, ea incurabilia puta-
re oportet.* Dolendum autem maximopere
est, praestantisimam hanc artem in Germania
nostra hucusque adeo neglectam fuisse, ut vul-
gares Chirurgi ultra uenaesectiones et scarifica-
tiones uix sapient, et barbitonfores in ignomi-
niam artis nobilissimae audiant. Fit inde, ut
homines cum eiusmodi morbis conflictantes,
qui Chirurgicam opem postulant, ad Empiricos
et circumforaneos, audacia magis, quam opera-
tio-

tionum Chirurgicarum, atque Anatomicarum
Scientia instructos, confugere necesse habeant.
Si quaeras, penes quem culpa lateat? non sane
Chirurgorum negligentiam, sed Magistratum
socardiam hic accusandam esse, patet. Di-
cas enim, quaelo, ubinam locorum in Germa-
nia, si Nosocomia tempore belli in castris existen-
tia, excipias, Anatomiam et operationes addi-
scendi haec tenus data sit occasio? Nunquam
ergo satis, et pro merito, celebrari potest Po-
tentissimi Borussiae Regis Munificentia incom-
parabilis, qua huic defectui medelam afferre su-
scepit, fundando Berolini in Regia sede splen-
didissimum Collegium Medicum atque Noso-
comium, Maison de Charité dictum, in quibus
sectiones Cadauerum numerosissimorum, et
operationes Chirurgicae copiosissimae, in usum
Medicinae et Chirurgiae tironum, perficiuntur.
Vtinam alii Germaniae Principes Exemplum
hoc fulgentissimum imitarentur, et Nosoco-
mia in primis in Academiis conderent, ut fu-
turi Medici et Chirurgi ad Praxin Medicam,
Anatomicam, atque Chirurgicam praeparari
possent! Haec autem sunt pia desideria, de
quibus nunc plura non addo, meque potius ad
uitae studiorumque curriculum clarissimi Can-
didati, ab ipso expositum, accingo.

Ego

IOH. DANIEL BEHRENS

in lucem editus sum Torgauiae, Anno recuperatae salutis M DC XCIX. die XXV. Ianuarii,
Patre GABRIELE BEHRENSIO,
Peina - Hildesheimensi, Chirurgo Torgauensis
Praefecturae iurato iam beate demortuo,
Matre ROSINA, genere RVHLIN adhuc
inter uiuos agente. Horum carissimorum Pa-
rentum prima et praecipua cura fuit, ut non
solum, sacro baptismatis fonte ablutus, Chri-
sto traderer, sed etiam postea literarum rudi-
menta addiscerem, atque in pietate non minus,
quam optimis quibusque artibus ac scientiis e-
rudirer. Ideoque nihil intermisserunt, neque
priuatim, nec publica in schola, quod ad me e-
rudiendum pertineret. Quem in finem, post
alios, cum publicae, tum priuatae informatione
Dn. STEINBRECHERI, olim Torgauiensis,
nunc Hirschbergensis Scholae Rectoris meri-
tissimi, Dn. FECKNONIS p.t. Rectoris, Dn.
IANI, Con - Rectoris, Dn. SCHROEDTERI
Sub - Rectoris, Collegarum, et Lycei Tor-
gauiensis Praeceptorum fidelissimorum, me
commiserunt. Quorum cura, solertia, et
dexteritate fideliter, sufficienterque instrudus,
Academiam hanc Anno M DCC XX. adii, cu-
ius in Album die XXII. Aprilis Rectore Magni-
fico,

fico, Dn. Io. GOTHOFREDO DE BERGER,
Consiliario Aulico et Archiatro Regio, Or-
dinis Medici Professore Primario, ac totius
Academiae Seniore, Patrono meo, omni uene-
rationis cultu prosequendo, inscriptus sum. Ex
qua bonarum artium mercatura ne inanis re-
direm, Celeberrimorum in hac Academia Pro-
fessorum usus sum institutione. Praeprimis
Dn. CHRISTIANI VATERI Consiliarii Au-
lici, et Archiatri Anhaltini, Medicinae Pro-
fessoris Publici, itemque Physici Prouinc.
Saxonici celeberrimi, h. t. Rectoris Magnifi-
ci, Physicam experimentalem, Praxin Me-
dicam, Chirurgiam, et alia, exponentis, Dn.
ABRAHAMI VATERI, Praesidis, et Praece-
ptoris mei, perpetuo suspiciendi, totam Medi-
cinam, tam theoreticam, quam practicam,
Anatomiam, Botanicam, et reliqua, traden-
tis, Dn. D. MARTINI GOTTHELFF LOE-
SCHERI, Physices et Medicinae Prof. Publi-
ci, Sereniss. Ducis Saxo-Vinariensis Physici
Prouinc. Physicam, experimentis illustratam,
praelegantis, Dn. D. Io. FRIDERICI WEID-
LERI, Mathemat. Superior. Profess. P. Ma-
thesin docentis, praelectionibus publicis et pri-
uatis frequens interfui, sectiones cadauerum,
tam publice, quam priuatim spectavi, nec
quicquam praetermisisti, quae Medicum et iuu-
re,

re, et ornare possent. Nunc autem, studiorum Academicorum cursu absoluto, in Patriam reditus, ab Ordine Medicorum Gratioſo, ut me Summis honoribus ornarent, decenter petii. Hactenus ille.

Ad examina sueta itaque NOSTER iam superioris anni Mense Aprilis admissus, uoto et expectationi Facultatis satisfecit, adeoque dignus habitus est, qui summis in Arte nostra honoribus ornaretur. Hoc ut more Maiorum fiat, frequente die Martis, mecum cathedram conſcendet, atque sub meo Praesidio Dissertationem Inauguralem, de Sarcomate, e pudendo muliebri exſecto, conscriptam, defendet. Ad hunc audiendum ut RECTOR MAGNIFICVS, ILLVSTRISSIMVS COMES, PERIL- LVSTRIS LIBER BARO, omnesque bonarum Artium Fautores, beneuole accedant, perhumaniter rogantur.

VITENBERGAE
LITERIS VIDVAE GERDESIAE

94 A 7368



KD A





13

ORDINIS MEDICORVM
IN
ACADEMIA VVITENBERGENSI
H. T. DECANVS

ABRAHAMVS VATER

D. et P. P.

ANAT. ET BOTAN. SVBSTITVT. NEC NON
SOCIETATVM IMP. NAT. CVR. ET REG.
BRITANN. SOCIVS

LECTORI BENEVOLO
SALVTEM DICIT